

a die feras bestias, ne hominis laborem turbarent, et ut ipsæ etiam noctu sibi victum quærere sine impedimento possent.

Tertio retrahit subinde manum et clades immittit in fruges et pecora, castigatque penuria variis de causis. Primo, propter peccata, sicut bonus parens subtrahit aut abscondit filio cibum propter ejus delictum; uti minatur Deus, Zach. XI. *Non pascam vos: quod moritur, moriatur; et quod succiditur, succidatur; et reliqui devorent unusquisque carnem proximi sui.* Secundo, ut sciamus nos hæc victualia non habere a nostra industria aut cæca fortuna, neque ex debito, sed a Dei beneficentia, cui proinde supplicare pro his et agere gratias oporteat. Tertio, ne crescente nimium rerum abundantia iis abutatur et ingurgitemur, indeque Dei obliviscamur. Deinde, ut querelæ cessent multorum qui se fruges et vina sua dividere non posse lamentantur, quod nullo fere in pretio sint propter eorum copiam.

V. Pascit constanter primo, per totum vitæ nostræ decursum, singulis annis replens cellaria et horrea nostra vino ac frugibus, gyrans solem circa nos, velut lapidem molarem, qui continuo molens farinam nobis infundat, quam diu vivimus. Quod sane velut maximum beneficium commemoravit Jacob jam decrepitu, Genes. XLVIII. *Deus qui pascit me ab adolescentia mea usque in præsentem diem.* Non parentibus suis, non agris, non pecoribus, denique nec laboribus suis adscribit sustentationem suam, sed Deo a prima ætate usque ad ultimam. Quod beneficium se ei peculiari et quasi religioso cultu, Genes. XXVIII. *Si dederit mihi partem (Deus) ad vescendum, et vestimentum ad induendum, etc. erit mihi Dominus in Deum.* Idem faciendum esse omnibus ejus posteris insinuavit Deus, cum jussit, Exod. XXV. juxta numerum duodecim panes in mensa sacra ut scirent se ejus cultui obstrictos, qui continuo eos pascit.

Secundo, pascit etiam ingratos et rebelles sibi, panes que eis proponit, a quibus ipse lapidibus impetitur, blasphemis, perjuriis aliisque sceleribus. O pastorem bonum! Clementem! Patientem! Quis facile reperitur, qui vel uno die pascere velit inimicum suum? In insula quadam oceani Germanici, quæ terra sancta appellatur, incolæ ex halecum seu harencorum raptu aluntur, qui cum semel ex petulantia halecem unum captum, circa annum Domini 1530. virgis cecidissent: adeo deinceps haleces eo loci imminuti fuerunt, ut cum prius ad bis mille homines vitam eo quæstu sustentarent, postea vix centeni inde vivere potuerint, ut refert Aldron. lib. tertio de piscibus, cap. X. En propter unius hominis petulantiam et ingratitudinem subtra-

hunt se pisces victui humano: et tamen Deus optimus et benignissimus tot ingratorum injuriis quotidie, tot blasphemis cæditur, lacessitur, nec subtrahit se illis, aut victum necessarium. Et quot pascit adhuc corvos, nigros animo gentiles, qui ipsum non noverunt? Quot Arabes, Turcas, Judæos, qui ipsum persequuntur et blasphemant? Quot malos Christianos, qui ipsius donis et victualibus in suam perniciem et Dei injuriam abutuntur?

Videte igitur, auditores, quam bonum pastorem habeamus et quid ipsi debeamus. Sed quid a nobis requirit? Nihil aliud, nisi ut ipsum tamquam nostrum pastorem agnoscamus et amenus. Discamus hoc a gentilibus: Ægyptiorum agri pluvis destituti, sola Nili inundatione fecundantur. Ergo inundantis aquæ ulnam seu mensuram singulis inundationibus in templum Serapidis, cui id beneficium adscribebant, deportare solebant: Constantinus tamen imp. christianus postea ad Ecclesiam Alexandrinam deferri jussit, Socrates, lib. I. hist. cap. XIV. Discamus a populo Hebræorum, qui vel semet a Christo in deserto pastus quinque panibus, voluit eum rapere et regem creare, Joan. VI.

CONCIO II.

QUAM BONUS PASTOR CHRISTUS SIT.

I. Defendit oves suas.—II. Ad bona pascua ducit.—III. Quærit oves errantes.—IV. Inventam ovem in humeros tollit.—V. Curat ut sanæ sint et medetur morbis.—VI. Dat pro ovibus animam suam.

THEMA.

Ego sum pastor bonus. Joan. X.

Videri posset alicui verbum hoc Salvatoris nostri propriam laudem sapere, quasi seipsum commendaret, dicendo: *Ego sum pastor bonus.* Sed occurrit huic scrupulo imprimis Eusebius Emissenus, in hodierni evangelii expositione, qui ait: « Quod pastorem se Dominus dicit, dignatio est, non promotio: inclinatio est, non dignitatis alicujus aliqua sublimitas. Sed non dedignetur se pastorem dicere, qui pastoris officium injurias et labores non est dedignatus subire. » Nemo jactabundum diceret Roman. imperat. si se bonum agricolam, vel etiam bonum nobilem assereret, demissionem enim animali verbo demonstraret omnibus admirandam; Dei Filius ex natura et essentia sua et hac ratione solus bonus est: et interim se pastorem dignatur appellare, quid mirum si addit bonum? *Ecce enim,* inquit S. Greg. in evang. hod. qui non ex antecedenti dono, sed essentialiter bonus est, *licit: Ego sum pastor bonus.* Certe in Scriptura sacra reges et principes frequenter appel-

lantur pastores ad eorum depressionem; quia ut tradit S. Hieronymus, in c. XXXVIII. Ezech. *Superbum nomen imperii pastoris vocabulo mitigatur.* Deinde occurrit S. Gregor. homil. XIII. in evang. qui nobis quidem periculosam esse propriam commendationem asserit. Deo vero nihil obesse: *Qui enim laudibus non eget, inquit, nec verbis honorificis, sit major vel sublimior, tuto se potest laudare.* Denique occurrit Græcus interpres, qui sic refert Christi verba: *Ego sum pastor ille bonus;* de quo nimirum vaticinati sunt propheta, venturum aliquando pastorem, qui proprias suas oves, non alienas sit pasturus. Isaias, c. XL. ait: *Ecce Dominus Deus fortitudine veniet, etc. Sicut pastor gregem suum pascet in brachio suo congregat agnos et in sinu suo levabit: fetas ipse portabit.* Ezechiel, c. XXXIV. *Suscitabo super eam pastorem unum, qui pascet eas: servum meum David* (h. e. Christum filium David: hic enim jam dudum fuerat mortuus, ut notat S. Ambrosius, lib. VII. epist. XLVII.) Taceo alios. Unde intelligo Christum voluisse dicere se esse pastorem illum magnum et bonum, pastorum omnium caput et exemplar, qui in Scripturis prædictus fuit, ut missioni suæ fidem apud incredulos conciliaret. Solum igitur hoc super est, ut ostendam: *qua ratione Christus fuerit pastor ille bonus; quod hic investigabimus.*

I. Bonus pastor defendit oves suas contra lupos, canes, fures; unde semper eis a tergo adest, ut periclitantibus succurrat. Hujusmodi pastor erat David, qui si forte leo vel ursus rapuisset ipsi ovem, persequeretur eos, eruebatque eis prædam e faucibus, et occidebat eos, I. Reg. XVII. Idem multo excellentius præstat Ecclesiæ suæ princeps pastorum, Christus. Quod enim olim præstitit synagogæ Deus, nonne a potiori præstabit Ecclesiæ suæ Christus? De illius vero protectione sic loquitur Isa. XXXI. *Quomodo si rugiat leo et catulus leonis super prædam suam, et cum occurrit ei multitudo pastorum, a voce eorum non formidabit, et a multitudine eorum non parebit, sic descendet Dominus exercituum, ut prælietur super montem Sion, et super collem ejus. Sicut aves volantes, sic protegat Dominus exercituum Jerusalem, etc., contra Sennacheribum videlicet sub Ezechia rege. Priori similitudine explicatur robur, posteriori pietas et clementia protectionis divinæ. Ergo: « Sicut leo et catulus leonis esuriens, inquit ibi Hieronymus, si cernat ovium gregem, nulla pastorum voce terretur et multitudinem eorum, conscius virium suarum despiciat: sic Dominus præliabitur super montem Sion contra adversarios ejus. » Et rursum: « Quomodo aves ut defendant fœtus suos, nidos supervolant: et sive serpen-*

tem, sive homines viderint avesque alias ad pullos suos accedere, oblitæ suæ imbecillitatis, rostro pugnant et unguibus, doloremque pectoris garrula voce congeminant: sic Dominus proteget et salvabit Jerusalem. » Ita sane Christus defendit Ecclesiam suam longe adhuc majore zelo, quam olim synagogam. Videre id erat in Sancto Stephano cui laboranti in concilio et imbre lapidum, ostendit semetipsum et gloriam suam assurgens de cœlesti throno suo, ut præliantem adjuvaret atque animaret, victoremque cum triumpho exciperet, Act. VII. Paulo post defendit exiguum gregem suum, qui erat Damasci, contra lupum illum, Saulum, minas et iras spirantem, pergentem in Damascum, ut affligeret fideles et victos abduceret. Velut avis prolificat rostro oris sui et clamore pugnavit pro fœtibus suis in hunc lupum: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Quemadmodum enim aquila etiam cum a nido suo avola, oculos tamen ad eum semper reflectit, ut defendat pullos contra invasores: ita Christus Dominus in nidum illum vigilanti semper respexit oculo et lupum inde depulit. Satis id ostendit Dominus adhuc in carne degens, quando in monte Oliveti, tempestate et sibi et suis imminente; oraturus Patrem avulsus est ab eis, quasi non sponte sed vi illata; nec magis procul, nisi ad jactum lapidis, ut mox adesse suis posset: cum tamen legamus Agar ancillam recessisse a filio suo infante ad jactum arcus, adeoque magis procul, Gen. XXI. ut proinde Christus magis amasse suos hinc colligatur, quam vel parentes ament filios suos. Neque aliter recessit, nisi ut vigilaret, et dormientibus discipulis invigilaret; quos et sæpius revisit. Quis ex his non videt quam fuerit pastor bonus?

II. Bonus pastor oves suas ad bona pascua ducit. Idem facturum Christum prædixit Ezechiel, cap. XXXIV. ubi de ejus missione et officio inter alia ait in persona ejus: *Pascam eos in montibus Israel, in rivis et in cunctis sedibus terræ. In pascuis uberrimis pascam eos, et in montibus excelsis Israel erunt pascua eorum: ibi requiescent in herbis virentibus et in pascuis pinguibus pascentur super montes Israel. Ego pascam eos, etc.* Pascua in montibus sunt contemplationes et exercitia anachoretarum et religiosorum, qui in illis requiescunt et impinguntur spiritu, luduntque summa voluptate velut oves in herbis virentibus. Pascua in vallibus ad rivus sunt. Primo, verbi Dei prædicatio, omnibus passim obvia, et multis ad nauseam usque proposita et inculcata. In quo pastorum bonorum industriam servare voluit Dominus. Ille enim, ut scribit Vincentius, in spec. nat. to. 1. lib. XVIII. cap. LXXII. in æstivis caloribus pas-

cunt oves non versus solem, ne debilibus ovium capitibus noceat, sed adverso sole: ita placuit Christo, ut ipsius oves legem ex ore sacerdotum requirant, nec ipsi in ss. litteris rimentur, et mysteria sacra, quæ non intelligunt, cum periculo suo scrutentur, cum debilem et obscuratum habeant intellectum. Est enim s. Scriptura quas. vinum potens, quod modice sumendum et a robustis tantum, non a pueris et mulieribus, h. e. ab ineruditis. Est quasi apotheca continens varia pharmaca, sed aliis utilia, aliis nociva: proinde non passim omnibus ad libitum permittenda.

Secundo, sacramenta, præsertim eucharistiæ, de qua in specie prædictum, Isa. XXX. *Pascetur in possessione tua in die illo agnus spatiose: et tauri tui et pupilli asinorum, qui operantur terram, commixtum migma comedens, sicut in area ventilatum est*, h. e. frumentum merum condimento mixtum et optime præparatum. Hujusmodi autem frumentum et pabulum fidelium est eucharistia, quæ miram continet et sapidissimam mixturam divinitatis et humanitatis Christi cum speciebus panis et vini, efficitque a eorum animis mirabilem commixtionem sui cum corpore Christi, ut ipsi incorporentur et in ipsum convertantur. Quanto hujus pastoris benignitas? Quantus amor erga oves suas, ut se ipsum ejus in pabulum præbeat? « Quis pastor oves, inquit D. Chrysostomus, ho. LXXXIII. in Matth. proprio pascit cruore? Et quid dico pastor? Matres multæ sunt, quæ post partus dolores filios aliis tradunt nutricibus; hoc autem ille non est passus, sed ipse nos proprio sanguine pascit et per omnia nos sibi coagmentat. »

Tertio, sunt exempla sanctorum, quæ nobis providit, conscribi fecit, et proponit passim in eorum imaginibus, historiis et conversatione. Solent pastores ovibus petram salis offerre deligendam in caulis, ut acuant appetitum et libentius ad ovilia revertantur. Sal quid nisi saneti, de quibus Dominus: *Vos etis sal terræ?* Matth. V. Unde S. Gregorius, hom. XVII. in evang. « Sæpe videmus, inquit, quod petra salis brutis animalibus ponitur, ut ex eadem salis petra lambere debeant et meliorari. Quasi ergo inter bruta animalia petra salis debet esse sacerdos in populis, etc. » Quis autem nescit sparsim per universam Ecclesiam hujusmodi salis petras, etiam adhuc viventes fidelibus propositas? Quot undique religiosorum monasteria et collegia? Quæ civitas, imo quis pagus non habet suos pastores et viros doctos ac pios, qui virtutum exemplo præeant rudioribus? Atque ut illis græve non esset alere pastores, providit eis pastorum princeps Christus de stipendiis

sufficientibus, ut sine operibus, sine gravamine subditorum vacare officio suo queant.

III. Bonus pastor errantem ovem non deserit, sed per avia et devia quærit. Idem de Christo vaticinatus est Ezechiel, cap. cit. ubi ita Dominus: *Ece ego ipse requiram oves meas et visitabo eas: sicut pastor, etc.* et mox: *Quod perierat requiram, et quod abjectum erat, reducam.* Requirit autem variis mediis, ut errantes ad se revocet, primo, sibilo internarum inspirationum: quæ ratione voluntatem suam insinuavit Deus Elia, III. Reg. XIX. et insinuare solet iis, qui facile Deo vocanti parent, nec indigent tonitruis, fulminibus et hujusmodi terriculamentis, qualia ibi præcesserant. Cujusmodi etiam fuit Isaias, qui cap. L. ait: *Dominus Deus aperuit mihi aurem, et ego non contradico: retrorsum non abii, ad Christum respiciens, qui voluntati, imo nutui Patris sui statim acquievit, et obtulit se ad redimendum genus humanum, adeoque ad ipsam crucem; et tales sunt veræ et genuinæ Christi aviculæ, conformes pastori suo minimeque degeneres, qui sponte ei servire volentes permittunt sibi aurem perforari ad ostium Domini sui, Exod. XXI.*

Secundo, baculo pastorali, subinde in oves projecto; de quo loquitur propheta, Psal. XXII. vers. IV. *Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Virga, inquam, et baculus pastoris (qualis est persecutio Turcarum, hæreticorum, pestis, famæ, annonæ caritatis, pruina, terræ sterilitas, etc.) de quo in eo psalmo est, illa leviolem, hic graviolem cogitationem indicat, et utraque consolantur oves, quia castigando ad pastorem reducunt; adeo ut propterea Isaias Deo gratias et laudes canat, c. XII. *Confitebor tibi (hoc est, laudabo te), Domine, quoniam iratus est mihi. Mox enim sequitur consolatio: Conversus est furor tuus, et consolatus es me.* Tunc dolendum et lamentandum est, quando errantem Deus non castigat, sed permittit ire in adventionibus suis. Hinc de eodem Salvatore nostro dixit Isaias, cap. XI. ad litteram: *Percutiet terram virga oris sui.* Quis autem nescit quam blande et quam paterne semper increpavit Christus peccatores? Ubi enim vulneravit, ubi occidit aliquem? Nonne in omni fere admonitione sua usus est voce illa: *Nolite, nolite*, hoc aut illud malum facere? Et si quamdam increpationem aliquam adhibuit, nonne increpando aut sanavit, aut certe sanare intendit? Hinc jure merito de ipso intelligit S. Ambrosius, lib. de bened. patriarch. cap. XI. benedictionem illam tribui Joseph a Moyse impertitam: *Cornua rhinocerotis cornua illius, in ipsis ventilabit gentes, usque ad terminum terræ.* Quod quidem Christus fecit, nemo ex tribu Joseph. Cur autem

cornibus rhinocerotis? Quia cornu illud remedium est veneni: unde cum aquas venenatas tangit, sanat hoc cornu, inquit: *Dominus Jesus comminuit gentes, ut superstitionem obtereret, salutem redderet, sicut ipse ait: Percutiam et sanabo:* et in Psal. XXXIV. *Nolite timere, quia ventilat. Dixit enim: Percutiam et sanabo. Bona cornua quibus fecit, ut cornua adversarii timere nequeamus.*

Tertio, per concionatores quasi per canes suos: quibus extrema minatur, nisi latent in errantes oves, ut revertantur ad pastorem suum, Ezech. cap. cit. *Ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, et cessare faciam eos, ut ultra non pascant gregem, nec pascant amplius pastores semetipsos.*

Quarto, per exemplum, quo ipse præcessit oves suas ad quæcumque ardua. Nunquam dixit Christus discipulis suis: *Præcedite me: sed: Venite post me; et sequere me:* et iterum: *Potestis libere calicem, quem ego bibiturus sum? Quis autem cordatus miles non sequatur præcuntem ducem? Certe oves pastorem suum sine metu subsequuntur, quia sub ejus presidio tutas sese reputant. Talis ovis fuit Jeremias, qui cap. XVII. ait Deo: *Et ego non sum turbatus (Chald. non sum cunctatus) te pastorem sequens: et diem hominis non desideravi, hoc est, dies bonos, quales agunt filii hujus sæculi.**

IV. Bonus pastor ovem, quæ perierat, inventam non perevit nec affligit, sed fatigatam potius in humeros assumit, et reportat ad caulam suam, id ipsum de se fatetur pastor noster, Luc. XV. in parabola dicens: *Et cum invenerit eam (ovem) imponit in humeros suos gaudens.* Ubi Greg. Nyssenus, in catena: « Cum, ait, pastor invenisset ovem, non punivit, non duxit ad gregem urgendo, sed supponens humero, et portans clementer annumeravit. » D. Ambrosius id exponens in cap. XV. Luc. ait: *« Humeri Christi crucis brachia sunt: illic peccata mea deposui: in illa patibuli nobilis cervicæ requievi. O stupendam pastoris nostri demissionem, charitatem et benignitatem! Quam ut antiqui Christiani nobis commendarent, solebant in templis et ss. calicibus pingere imaginem Salvatoris, ovem humero gestantis. Idem de eo prædixit Isaias, cap. XL. Sicut pastor, inquit, gregem suum pascet: in brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit: fatus ipse portabit. Præstitit hoc Christus toti imprimis generi humano, quando: Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut ait S. Petrus, I. Pet. II. quando reatum peccatorum nostrorum ipse in humeros suos cum onerosa cruce suscepit et persolvit. Quod in specie de Davidis (qui et ipse graviter errarat, uti fatetur,*

Psal. CXVIII. *Erravi sicut ovis quæ perit) peccatis testatur Nathan, quando audita ejus contritione, subjunxit: Dominus transtulit peccatum tuum, II. Reg. XII. Quomodo et quorsum transtulit? Utique ab humeris Davidis in humeros Christi Redemptoris: qui uti pro ipsius, ita pro omnium peccatis satisfactorus erat. Verum præter commune redemptionis beneficium, plus adhuc indicat Isaias, loco cit. quam Christus in parabola ovis perditæ; quod nimirum in particulari singulos, cum requisiti et inventi ad ipsum revertuntur, humanissime excipiat, et suaviter plus quam justos sæpe demulecat, singulares eis velut agnis et infirmis exhibendo favores: suppeditando vestitum et ornamenta, instruendo convivium animæ, quemadmodum in parabola filii prodigi ad patrem reversi subjecit. Hinc publicanos et peccatores benevole admisit etiam ad mensam. Hinc Thomæ, velut ovi erranti, reperto in collegio discipulorum obtulit se palpandum, quod tamen paulo ante negaret Magdalene. Cur vero? Quia Thomas adhuc agnus, tener et infirmus, ad pastorem reverti incipiebat; Magdalena vero tunc forte in gratia stabat. Eandem ob causam Magdalene ad sepulcrum suum non permisit tangeere et osculari pedes: quos tamen prius peccatori jam poenitenti liberaliter concesserat et osculandos et unguendos. Petro nominatim denuntiari jussit suam resurrectionem: *Dicite discipulis et Petro, Marc. XVI. non ita aliis discipulis: quia Petrus ex lapsu contractus et pro tempore imbecillus; ideoque erigendus erat præ cæteris, qui ita non ceciderant. Videant ergo peccatores, quam bonum habeant pastorem, qui magis eis blandiatur, quam suis istis in gratia firmatis. Quare ergo moriemini, domus Israel? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus Israel, revertimini et venite, Ezech. XVIII.**

V. Bonus pastor curam habet de ovibus, ut sanæ conserventur, et medetur morbis earum. Idem facturum summum pastorem, Christum prævidit Ezechiel, loco sæpius cit. *Quod contractum fuerat alligabo, et quod infirmum fuerat, consolidabo: et quod pingue et forte custodiam; et pascam illas in judicio.* Quam vere id de Christo dictum sit, ostendunt tot, quas contulit infirmis, sanitates, ipsiusque testimonium, quo se ipsum appellare medicum dignatus est; quando Matthæum a morbo avaritiæ curavit. Ostendunt quotidianæ curationes, quas impertit morbis et vulneribus animarum nostrarum, inventu sacramentorum, velut pharmacorum. Neque vero talis est quales alii medici, qui sæpe morbum vincere nequeunt, neque, gratis, neque sine cruciatu aut molestia curant; sed: *Misit Deus medicum (Christum) inquit Sanctus*

August. serm. XIII. de verb. apostoli, qui nos gratis sanaret : qui sanatis etiam mercedem daret. Nihil addi ad istam benevolentiam potest. Quis est qui dicat : Sanem te et do tibi mercedem ? Dat enim sanatio pignus vitæ æternæ. Ad hæc addit : *Pascam illas in iudicio*, h. e. sapienter et discrete juxta merita. Pastor eas oves, quæ crescere et fetus gignere debent, ad pascua arida in montes cogit : quæ ad macellum destinatæ sunt ad pascua pingua, sita in convallibus : illas arcet a pascuis rore melleo inspersis, has eo saginat. Non dissimili ratione Christus, quia duplicis sortis oves habet ; alias, quæ sunt veræ oves nomine et re alias, quæ videntur et vocantur oves, revera autem sunt hirci potius : illi sunt electi, hi vero præsciti. Audite pastorem nostrum, cit. cap. Ezech. mox subjicientem : *Ecce ego iudico inter pecus arietum et hircorum*. Ubi vero ? Primo, in hoc sæculo, ubi oves et arietes pascit tribulationibus, juxta id Isa. XXX. *Dabo vobis panem arctum et aquam brevem* (Septuaginta vertunt : *Panem tribulationis et aquam angustiae*.) hircos vero seu reprobos impinguat bonis, hujus sæculi terrenis ; ut saltem hic fruatur bonis, qui frui ibi noluerunt ; præsertim quia et ipsi subinde aliquid operantur boni, non ex Deo nec pro cælo : sed viribus naturæ et pro terra.

VI. *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis* : exponendo se periculo vitæ pro tuendis illis ; deinde æstu, frigore, pluviis, vigiliis, laboribus, earum causa susceptis sese conficiendo et vires atterendo, ut præmaturam mortem ælerumque incurrat. Fecit in hoc etiam officium pastoris boni Christus, et quidem excellentissime. Non enim solas curas, vigiliis et labores omnes impendit suis ovibus, sed ipsam etiam vitam ; et primo absoluto, non secundum conditionem accelerationis tantum, ut alii pastores : ipsi enim ratione unionis hypostaticæ debebatur immortalitas : cæteri pastores debent aliquando mori, tametsi ovibus se non impendant, Christus non debebat. Unde dixit Dominus : *Nemo tollit a me animam meam, sed ego pono eam a meipso*, Joan. X. Poterat enim reddere se invulnerabilem et impassibilem. Hinc in cruce clamans expiravit : ut ostenderet se sponte mori, cum adhuc vivere posset, si vellet ; sicut vires habuit ad clamorem extollendum ; ex quo indicio conjectavit centurio, ipsum plus esse quam hominem, adeoque Deum.

Dedit animam suam innocentissimam pro ovibus nocentibus. Scimus quidem Davidem, cum videret peste plecti populum suum, ad Deum exclamasse : *Vertatur obsecro, manus tua contra me* ; adeoque mori paratum fuisse pro suo populo : verum id jure fecit ; quia ipse pec-

carat, non populus : *Ego sum, qui peccavi, ait, isti, qui oves sunt, quid fecerunt ?* Reg. ult. Contrarium in Christo fuit, oves peccarunt, pastor quasi innocens agnus fuit.

Tertio, dedit vitam hominis Dei, toto mundo pretiosiore, pro vita hominum, servorum sibi subjectorum, et quidem dedit pro omnibus, ut dare paratus etiam esset pro singulis. *Non enim, ait S. Chrysost. in cap. II. epist. ad Gal. Dominus recusaturus erat ob unum tantam exhibere dispensationem : adeo singulum quemque hominem pari charitatis modo diligit, quo diligit orbem universum*. Hæc est illa charitas ejus, quam *nimiam* appellat apostolus ad Ephes. II. Quomodo enim non nimia, cum pro unum terræ vermiculum sicut omnes curaverit, cum pro uno solo servo suo vitam suam dare voluerit et quidem ad crucis patibulum ?

Quarto, dedit gratuito, nihil a nobis expectans. Alii pastores expectant a suis ovibus lac, caseos, carnes denique earum. Nihil tale a nobis sperare potuit Christus, quia dare nil poteramus. « Poterat nulla offerre opprobria, ait Chrysostomus, in cap. XV. ep. ad Rom. poterat quæ passus est non pati, si quæ sua erant, spectare voluisset. Verum noluit, sed quod nostrum erat, respiciens, quod suum neglexit. » Et S. Bernardus, serm. II. de cæna Domini : « Sustinuit in assumpta carne peccata nostra : et hoc totum non propter se, sed propter nos : ut redderet nos incolumes de infirmis, cohæredes de extraneis, liberos de servis. »

Vidimus auditores, quam juste et quam vere pronuntiarit de se Christus, quod de ipso prædictum fuit : *Ego sum pastor bonus*. Quando igitur fuit, hodieque adhuc est pastor bonus, videamus nos, ut simus oves ejus bonæ.

CONCIO III.

CHRISTIANI SUNT OVES.

I Nemini sint injurii. — II. Sint mites et injuriam patientes. — III. Concordes sint. — IV. Sint pastoribus obedientes. — V. Timeant peccatum velint lupum. — VI. Sint utiles etiam proximo. — VII. Provideant morti suæ.

THEMA.

Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili.
Joan. X.

Primus noster parens, Adam, ubi ad ipsum Deus adduxit animalia, singulis sua nomina, naturis eorum, quas optime norat, convenientia dedit ; quæ et ipsis remanserunt : *Omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus*, inquit Moyses ejus, Genes. II. Secundus et cælestis noster Adam et parens Christus Dominus longe adhuc perspicacius agnovit re-

rum omnium naturas et proprietates, adeoque quale nomen ipse creaturis dederit, ipsum est et remanebit nomen ejus. Hic ergo in hodierno evangelio, quo nomine nos appellat ? Non elephantas, non equos, non cervos, non boves, sed oves ; voluit enim, ut Christiani ovium naturam et proprietates moribus suis ostenderent. Non erant quidem gentiles eo tempore, quod id dixit Christus, ex ovibus Christi, sed potius ex lupis et hircis Satanæ. Providit tamen Christus eos per evangelium in oves commutandos, et a suis apostolis ad ovile suum adducendos. Dum igitur hoc audimus, jure merito nos deceret flectere genua nostra, et ipsi gratias immortales agere, qui oves nos appellare dignatus est, cum adhuc lupi essemus, et ex lupis oves facere. Quando ergo nunc per gratiam ipsius in ovili ejus sumus, superest ut revera oves simus ; ne in nobis eludatur vaticinantis Christi verbum. Id vero, qua ratione fieri debeat, audiamus.

I. Oves solæ fere ex omnibus brutis sunt inermes, unde nulli animalium nocent, nullum odio habent, a nemine timentur, et nos medios inter ovium greges secure ambulamus, quia cedunt omnibus. Tales sint Christiani : nemini inimici, nemini injuriosi ; adeoque nec terrorem ullum, sed pacem et affabilitatem præ se ferant erga omnes, ut hac nota dignoscantur. Hujusmodi fuisse primos Christianos sæpe testatur Tertullianus, cujus illud celebre dictum est : *Christianus nullius hostis est*. Jubemur enim a Christo diligere etiam inimicos, nedum amicos. Idem in apolog. adversus gentes : « Tot a nobis nocentes, inquit, variis criminum elogiis recensentur ; quis ex illis sicarius est ? (Scilicet Christianus ?) Quis manticularius ? Quis sacrilegus aut corruptor, aut lavantium prædo ? Quis ex illis etiam Christianis adscribitur ? Aut cum Christiani suo titulo offeruntur, quis ex illis etiam talis, quales tot nocentes ? De vestris semper æstuat carcer, de vestris semper metalla suspirant, de vestris semper bestię saginantur, de vestris semper munerarii noxiorum greges pascent, nemo hic Christianus, nisi plane tantum Christianus, aut si et aliud, jam non Christianus. Nos soli innocentes. » Et sane istud est, quod nobis præcipit apostolus, I. Corinth. XIV. cum ait : *Malitia, parvuli estote Græce, infantes, quemadmodum et Christus, agnus appellatus est a Joanne* : qui plane nemini nocere ulla ratione potest. Unde Sanctus Maximus homilia quarta in pasch. ait : « Habet et christiana simplicitas infantiam suam. Sicut enim infans nescit irasci, fraudare non novit, referire non audet : ita et christianitatis infantia lædentibus non irascitur, spoliantibus non resistit, cedentibus non repugnat, etc. nisi quod in hoc melior quam naturæ

infantiæ : ista enim peccare nescit, illa contemnit. » Memoriæ proditum est hastam illam Constantini Magni bellorum fulmen, cum ipse animum ad christianam mansuetudinem traduxisset, in crucem fuisse erectam ; ut quæ antea telum extitisset plenum terroris, eadem esset asylum benignitatis, uti refert Causinus, lib. XII. sym. cap. XXV. ex Baron. anno 312. Uti hastam in crucem, ita animum ferocem mutavit in placidum et benignum. Qui enim prius ex levi suspicione filium et conjugem occiderat, ipsamque Neronis ferociam spirare videbatur, ut enarrat Barorius, anno 324. post susceptum baptismum ex leone in ovem transit, ita ut injurias suas, graves licet, minime ulcisceretur, sed rideret. Paulum ex lupo in agnum, suscepta fide, mutatum nemo est, qui nesciat. Id vero omnibus convenire Christianis discimus ex Isaia, qui de illis vaticinatus est, cap. II. *Constabunt gladios suos in vomeres et lanceas suas in falces*, q. d. depositis armis pacifice inter se vivent, quasi agricolæ intermes, non quasi milites armati.

II. Mitissimæ insuper sunt et injuriam patientissimæ : patiuntur se non modo tonderi, sed deligari et ligatas ad ephippia equorum suspendi, a lanionibus hinc inde jactari, nec tamen vociferantur ; quinetiam tondentibus se lanam denuo afferunt, simul et lac et agnos : omnis injuriæ oblitæ. Tales esse etiam decet Christianos, si Christi oves esse et haberi volunt ; quemadmodum et Julianus apostata objecit Christianis, cum eos bonis suis spoliaret, in exilium ageret et aliis modis vexaret. *Vestrum est pati* (aiebat accedentibus ad se, et de injuriis illatis sibi conquerentibus) *cum afflictumini ; hoc enim est Dei vestrum mandatum*, apud Baron. anno 362. Nequiter quidem, vere tamen, non enim solum Christi mandatum sed etiam exemplum luculentissimum habemus ; siquidem is sicut ovis ad occisionem ductus est, et quasi agnum coram tondente se obmutuit ; ut prædixit Isaia, cap. LIII. necnon Jeremias, cap. XI. *Et ego, (inquit in persona Christi) quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam, et non cognovi*. Non est discipulus super magistrum : justum igitur est, ut ipsum pro viribus imitemur ; quod sane agnovit apostolus cum ad Roman. octavo scripsit : *Propter te* (fidem scilicet et confessionem nominis Christi) *mortificamur tota die : æstimati sumus sicut oves occisionis*. Ad litteram quidem id dicitur, Psalm. XLIII. de Macchabæis vexatis et afflictis, quin et morte mulctatis ab Antiocho Epiphane, ut notat ibi Theodoretus : rectissime tamen intelligitur etiam de Christianis, qui ad majorem perfectionem obligantur, quam Macchabæi. adeoque etiam ad majorem